



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Iacobvs Billivs, Abbas S. Michaelis In Eremo, Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

IACOBVS BILLIUS, ABBAS S. MICHAELIS
IN EREMO, LECTORI S.

ARALLELORVM volumeq; in tres libros commodis-
simè sānē, meo quidem iudicio, primum distinxerat Dama-
scenus. Primus enim ea complectebatur, quæ ad res diuinas
ac fidēm pertinebant. Secundus de rerum humanarum statu
differebat. Tertius denique de virtutibus ac vitiis pertracta-
bat. Verū postea, vt Lectores ea, quæ quererent, facilius
inuenirent, consilium mutauit, atque alphabetico ordine Capita collocare ma-
luit. Qua quidem in re, quantum Græcis consuluit, tantum interpretationi
Latine incommodi attulisse videtur. Nam cū in ea series illa alphabeticq;
teneri nequeat (siquidēn que apud Græcos ab una littera incipiunt, ab altera
in Latina translatione initium ducunt) hinc fit, vt & prioris ordinis commo-
ditate careat, nec posterioris facilitatem consequatur. Quamobrem cū ea ra-
tio, que Damasco, vt à priore illo ac meliore ad posteriorem deflecteret, in
animum induxerat, in Latino locum non haberet, lubens euidem fecisset, vt
priorē illum ordinem, quem mihi, tum Author ipse, tum ipsa etiam operis ra-
tio, mihi velut porrecta manu præbuisset, ego in interpretatione sequerer: nisi
veritus essem, ne si quando Græca in lucem exirent, in nonnullorum reprehen-
sionem incurrerem: quibus fortasse hæc nostra in immutando alieni operis ordi-
ne, vel audacia, vel certè licentia parum grata futura esset. Cur autem in tres
potius libros, quam in vigintiquatuor, vt totidem litteris Græcis responderent,
totū volumē diuiserim, si quis ex me sciscitetur, huic respondebo, id me eò fecisse,
vt disparem librorum magnitudinē vitarem. Nam cū in Parallelis Græcis
quædam sint litteræ, quibus plurima Capita continēantur, quædam rursus, in
quibus vnum duntaxat, idq; breue admodum Caput insit, an non ridiculum
fuisset librum vnum videre, qui minus dimidia pagina constaret? Hoc igitur
incommodum vt fugerem, in tres pars magnitudinis libros totum opus parti-
tus sum: ita tamen, vt in Capitum elenco, vbi queque littera Græca incipiat,
annotarim: vt, quibus Græca suppetūt, ij, quò Latina referantur, prima statim
fronre perficiant. De operis autē utilitate nihil esse arbitror, quamobrem à me
longa oratio habeatur. Nam cū, vt Scripturam sacrā omittam, vnde innu-
mera loca desumpta sunt, ex selectissimis quibusq; & elegantissimis eruditissi-
morum Theologorum sententiis hæc Parallelæ contexta, atque in Locos com-
munes digesta sint, quis non videt quantum hinc, non modò pietatis, sed etiam
doctrinæ fructum? Lectori decerpere liceat? Huc accedit, quòd in hanc antho-
logiam multa ex ijs Authorum scriptis coniecta sunt, quæ vel temporis iniuria
prorsus intercidérunt, vel certè nondum typis mandata sunt. Quòd si in hoc
genere, tum Antonij Melissam, tum Maximi Collectanea, magna cum animi
voluptate studiosi legunt, mihi certè dubium non est, quin maiore illos oblecta-
tione Parallelorum lectio affectura sit, vt quæ longè vberiorēm atque ornatio-
rem

P R A E F A T I O.

rem sententiarum supellecilem ipsis subministret. Quicquid porrò illud est zili-
lustissimo, & singulari virtute ac doctrina prædicto, Cardinali Antonio Ca-
rafa omnino acceptum referri debet, ut qui exemplarū Græcum ad me Roma-
vque miserit. Cuius etiam consilio atque autoritate auctus, in rediendis
Scripturæ locis, quæ à Damasco proferuntur, vulgatam interpretationem ubi-
que, quo ad eius fieri potuit, securus sum. In quo minime dubito, quin à pīs &
grauibus viris non minus gratiae initurus sim, quam apud ineptos ac nouitatis
cupidos, offendit subiturus. Mihi certe minoris constitisse, ea mea, ut dici
solet, marte transferre, quam non sine magno, tum animi tædio, tum tempo-
ris dispendio, Bibliorum codicem toties volvere, ac quæsita loca describere. Sed
antiquius habui plus aliquantò laboris suscipere, quam à veteris Interpretis ve-
stigis aberrando, gravius & orthodoxis Lectoribus displicere. Quanquam quid
hunc laborem commemoro, cum ludus potius fuerit, quam labor, si cum hac
cruce conferatur, quam mihi fixit Græcus codex, nimis sapè mendosus, ac præ-
sertim in ijs locis, quibus, nisi consultis Authoribus, ex quibus illi decerti fu-
erant, atque adhibita diligentí collatione, vix omnino vlla medicina fieri pote-
rat? Quæ quidem res eo maiorem mihi molestiam exhibuit, quod in toto hoc
volumine Theologorum nomina penè semper ad marginem ita citantur, ut in-
terim, nec capita, nec librorum nomina, simul ascribantur. Quod etiam factum
est, ut sapè ad coniecturas mihi configiendum fuerit, utinam non leues &
inanis. Illud sancè tibi non ingratum fore confido, quod permultas sententias,
quarū inscriptio falsa erat, veris suis Authoribus afferui. Hoc autem totū quale
sit, ipse per te Lector aſtimabis: ac si quem fructum hinc collegeris, hanc mihi
laboris mercede velim referas, ut pro salute mea preces ad Deū adhibeas. Vale.

P R A E F A T I O G R A E C I C V I V S D A M I N
D. Ioannis Damasceni Parallelæ.

NGENTIS pretij res est virtus, ut quæ Deo hominem copulet, ac
cælorum regnum ipsis conciliet. Hæc porrò diuinorum mandatorum
obſeruatione comparatur. Ait enim Dominus in ijs pollicitatio-
nibus, quas ad Israëlitas faciebat: Si audieritis vocem meam, & Exod. 19.
custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, rega-
le sacerdotium, gens sancta. Quin Dei quoque filios eos esse pronunciauit,
qui diuinis præceptis obediunt. Quantum autem bonum hoc sit, nemo eſt
qui sermone consequi posſit. Etenim naturam nostram superat hæc grâ-
tia: ſperm omnem excedit adoptionis dignitas. Quocirca, ut tantis bonis po-
tiamur, ea, quæ nobis imperata sunt, prompto atque alaci ūmo exequi
conuenit. Facilis autem eius, quod ex utilitate noſtra ſit, electio futura eſt,
ſi virtutes atque aduersaria ipsis vitia inter ſe componamus, & quicquid de
ipsis, tam à Scriptura sacra, quam à sanctis ac diuino numine afflatis Pa-
tribus, dictum fuerit. Hinc enim, & luculenta iuſtorum præmia, & de-
nunciatos improbis cruciatus intelligens. Sciendum vero eſt ad Christia-
†††